

Petrum de venusio Monachum Monasterii Montis sacri ac priorem ecclesie sancti Iacobi de barolo grancie dicti Monasterii ex una parte et dompnum Iohannem de Comestabulo, dompnum Robertum magistri Andree, dompnum Nicolaum de latio dictum amalarta, dompnum Tucium de bellucio, et dompnum lucam bacca-rellam de barolo Clericos ecclesie sancti Iacobi de dicta terra baroli ex parte altera super eo videlicet, quod dictus prior nomine et parte sua et successorum in dicto prioratu, et ipsius prioratus, et dicti Monasterii asserebat et dicebat a tempore cuius in contrarium memoria hominum non extitit fuisse et nunc esse generalem consuetudinem diutius observata in dicta ecclesia, et obtenta, contradictorio Iudicio per priores qui fuerunt pro tempore in dicta Ecclesia habuerunt et habere debuerunt in omnibus redditibus Censibus pensionibus et decimis ipsorum clericorum, ac oblationibus, votis, legatis, Elemosinis, offersionibus et Iuribus aliis, Clericis dicte Ecclesie, legatis et Relictis, ut clericis partem unam, ut unum ex Clericis ecclesie supradicte, preter et ultra partem et Iura ipsos priores percipientes et habentes Iure sui prioratus in oblationibus et offertis ecclesie supradicte, et in ea possessione seu quasi habendi Iura predicta sui successores qui fuerunt pro tempore in prioratu predicto pacifice fuerunt, et nunc asserit se esse. Dictis Clericis in contrarium asserentibus et dicentibus, dictum priorem nihil debere habere de Iure in ipsis seu aliquo ipsorum. Et si si (*sic*) quo tempore sui predecessores habuerunt Iura ispa, habuerunt ex gratuita donatione Clericorum ipsorum, et non ex consuetudine vel de Iure, supra qua lite seu questione asseruerunt partes ipse, Inter eas fuisse diutius altercatum Coram Reverendo in Christo patre et domino domino fratre Rynaldo dei gratia Episcopo Cannensi Iudice et conservatore abbatis et conventus Monasterii Montis sacri predicti, Ipseque partes in prosecutione dicte cause Coram coservatore predicto varias expensas et sumptus fecisse, et labores sumsisse. Et ipsi Clerici deducti ad conscientiam veritatis, bonam fidem agnoscentes ut dixerunt, predicto die in nostri eadem presentia de litibus et questionibus ipsis que Inter Ispas partes predicto modo utuntur et congnessis (*sic*) dependentibus ex eisdem voluntarie devenerunt ad concordiam Infrascriptam Videlicet. Quod dictus prior suique successores qui erunt pro tempore in prioratu dicte ecclesie habeant et habere debeant partem unam in omnibus redditibus Censibus pensionibus et decimis Ipsorum Clericorum, ac oblationibus votis legatis, Elemosinis offersionibus et Iuribus aliis Clericis Connumerata persona Ipsius prioris, quo ad perceptionem Ipsorum Iurium pro uno Clerico dicte ecclesie Ita tamen quod dictus prior, suique successores sibi. Reliquis Iuribus competentibus sibi ratione dicti prioratus sibi Integre more solito Remansuris Ita quod vigore dicte Concordie nichil videantur esse Innovatum. Pacto adiecto. inter eos in limine dicti contractus, sollepni stipulatione vestito, quod si qua persona legaret, seu donaret aut quocumque titulo Relinqueret nominatim uni vel duobus Clericis ipsius ecclesie dicendo lego seu Relinquo dopno Iohanni et dompno Roberto, aut duobus aliis vel uni nominatim ex clericis ipsius ecclesie, hoc et hoc quod ex illis legatis factis seu ex donationibus tali modo Relictis Priores nichil perciperent seu nullam possint petere portionem, set tantum in casu ipso, quando legatum B et donatio per mortem ipsorum Sacerdotum cui vel quibus sit nominatim est Relictum deveniret ad commune ipsorum In quo casu dicti priores predicto modo habeant distributionem et partem prout superius est [expre]ssum et persone ipsius